

aut legendo ex præceptore accipere. Cum autem omnium linguarum scientia difficilis sit cuiquam, nemo tam desidiosus est ut in sua gente positus suæ gentis linguam nesciat. Nam quid aliud putandum est, nisi animalium brutorum deterior? Illa enim propriæ vocis clamorem exprimunt, iste deterior qui propriæ linguæ caret notitiâ. Cujusmodi autem lingua locutus est Deus in principio mundi, dum diceret, Fiat lux, invenire difficile est: nondum enim erant linguæ. Item qua lingua insonuit postea exterioribus hominum auribus, maximum ad primum hominem loquens, vel ad prophetas, vel dum corporaliter sonuit vox dicentis Dei: *Tu es Filius meus dilectus*. Ubi a quibusdam creditur illa lingua una et sola, quæ fuit

A antequam esset linguarum divisio. In diversis quippe gentibus creditur quod eadem lingua illis Deus loquatur, qua ipsi homines utuntur ab eis intelligatur. Loquitur autem Deus hominibus non per substantiam invisibilem, sed per creaturam corporalem, per quam etiam et hominibus apparere voluit, quando locutus est. Dicit enim Apostolus: *Si linguis hominum loquar et angelorum*; ubi queritur qua lingua angeli loquantur. Non quod angelorum aliquæ linguæ sunt, sed hoc per exaggerationem et acervationem dicitur. Item queritur qua lingua in futurum homines loquantur. Nunquam reperitur; nam dicit Apostolus, *Sive lingua cessabunt*.

SIBYLLINORUM VERBORUM INTERPRETATIO.

(Hanc sibyllinorum verborum interpretationem Bedæ etiam a nonnullis ascriptam, ne desideraretur, hic apposulmus.)

Sibyllæ generaliter omnes feminæ dicuntur prophetantes, quæ ob divinam voluntatem, omnibus interpretari, et ventura pronuntiare solebant. Tradunt autem doctissimi auctores decem fuisse Sibyllas: quarum prima Persis, secunda Libyca, tertia Delphica est, quæ ante Trojana bella vaticinata est; quarta Cumea, in Italia; quinta Erietea, in Baby-lonia orta, dicta Erithrea, ab insula in qua ejus dicta sunt carmina; sexta Samiana, a Samo flumine Beneventano vocata; septima Almiteia, vel Cumana; octava Hellespontica; nona Phrygia; decima Tiburtina Græce, Albunea Latine vocatur: ex cujus carminibus multa de Deo et Christo scripta continentur. Fuit igitur hæc Sibylla, Priamidis regis filia, et ex matre Hecuba procreata. Vocata est autem in Græco Tiburtina, Latine vero Albunea nomine, vel Cassandra; et illa circueiens diversas provincias æ partes orbis, prædicavit Asiam, Macedoniam, Ero-stachiam, Agagusdeam, Ciliciam, Pamphyliam, et Galatiam. Cumque mundi partes vaticiniis suis repletisset, inde venit Ægyptum, Æthiopiam, Bragadam, Babyloniam, Africam, Libyam, Pentapolim, Mauritaniam, et Palarium. In omnes has provincias prædicavit, et spiritui prophetiæ repleta, prophetavit bonis bona, malis mala. Scimus namque quæ in præconiis suis annuntiavit, et quæ in novissimis erant ventura prædixit. Audientes igitur famam ejus Romani, statim nuntiaverunt in conspectu senatorum. Mittentes ergo senatores legatos ad eam, fecerunt ipsam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex senatu Romano somnium in una nocte viderunt singuli. Videbant singuli quasi novem soles esse in cælo, qui sigillatim divisi, divisi in se figuras habebant. Primus sol erat splendidus et fulgens super omnem terram. Secundus sol splendidior et magnus, ætheream habens claritatem. Tertius sol sanguineo colore flammiger, igneus et terribilis, ac demum splendidus satis. Quartus sol, quarta generatio est tempore Christi. Quintus sol erat tenebrosus, sanguineus et lampas, sicut in tonitruo tenebrosus. Sextus sol tenebrosus nimis, habebat aculeum stimulum scorpionis. Septimus vero sol terribilis erat, et sanguineum iterum habens in medio gladium. Octavus autem sol erat effusus sanguineum habens colorem in medio. Nonus autem sol erat nimis tenebrosus, unum tamen habens radium fulgentem. Cumque Romam ingressa esset Sibylla, videntes eam cives Romani, admirabantur nimiam pulchritudinem ejus: erat enim venusto aspectu, decora vultu, eloquens in verbis; atque Dei pulchritudine satis bene composita, suis auditoribus dulces præbebat eloquium. Vementes autem viri qui somnia viderant, dicunt ad eam: Magistra et domina, quam ad magnum decorem est corpus tuum, qualem nunquam in feminis, præter te vidimus. Preca-

B mur ut somnium quod omnes nos in una nocte vidimus, quid futurum præmonstret aperias. Respondens Sibylla dixit ad eos: Non est æquum in hoc loco stercoribus pleno, et diversis contaminationibus polluto, sacramentum hujus visionis detegere. Sed venite ascendamus, ad Apenninum montem, et ibi annuntio vobis quæ ventura sunt civibus Romanis. Et fecerunt ut dixit. Quos interrogavit: et illi visionem quam viderant, narraverunt ei. At illa dixit ad eos: Novem soles quos vidistis, omnes futuras generationes præsignant. Quod vero dissimiles eos vidistis, dissimilis erit vita in filiis hominum. Primus autem sol, prima generatio est: erunt homines simplices et clari, amantes libertatem, veraces, mansueti, benignissimi, amantes consolationes pauperum, et satis sapientes. Secundus autem sol, secunda generatio est: erunt homines splendide viventes, crescentes multum, Deum colentes, sine malitia conversantes in terra. C Tertius vero sol, tertia generatio est: exsurget gens contra gentem, et erunt pugnae multæ in Roma. Quartus autem sol, quarta generatio est: erunt homines quod verum est abnegantes; et in diebus illis exsurget mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens sponsum nomine Joseph, et procreabunt ex ea sine commixtione viri, de Spiritu sancto, nomine Jesus: et ipsa erit virgo ante partum, et virgo post partum: qui ergo ex ea nascetur erit verus homo, sicut omnes prophetæ prædicaverunt: adimplebitque legem Hebræorum, et adjunget sua propria insimul, et permanebit regnum ejus in sæcula sæculorum: nascente autem ex eo, exercitus angelorum a dextris et a sinistris erunt, dicentes, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Veniet namque vox super eum dicens, *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. Erant ibi ex sacerdotibus Hebræorum, qui audientes hæc verba, indignati dixerunt ad eam: Ista verba terribilia sunt: sileat hæc regina. Respondens Sibylla dixit eis: O Judæi, necesse est ista fieri, sed vos non credetis in eum. D Dixeruntque: Nos non credemus, quia verbum et testamentum dedit Deus patribus nostris, et non auferet manum suam a nobis. Respondit eis iterum: Deus cæli sibi generaturus est Filium, ut scriptum est: qui similis erit Patri suo, et postea ut infans per ætates crescat, et insurgent reges in eum et principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen, et regnabit in Roma, et subiciet omnem terram sibi. Non multi, vel non pauci; non tres, neque duo sunt dii, sed unus Deus, solus et immensus, qui fecit cælum, solem, stellas et lunam, frugiferamque terram et mare. Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, perpetuum cujus ipsi hæreditabunt paradisum. Mortuorum vero simul resurrectio erit, et claudorum cursus ve-

locissimus erit; surdi audient, et cæci videbunt; non loquentes, loquentur; ex quinque panibus quinque milia hominum saturabit, et colligentur reliquæ fragminum duodecim cophini, exinde replebunt in specie populorum. Ventos compescens verbo, mare calcans, ambulans super undas, infirmitates omnibus solvet; surgere faciet mortuos, repellens multos dolores: et de pane uno saturatio erit vivorum. Sed cum omnia fuerint perfecta quæ dixi, in ipso omnis resolvetur lex, et impias manus infidelium postea inveniet. Post hæc convenient sacerdotes Hebræorum contra Jesum, quia multa signa faciet, comprehendente eum, dabunt Deo alapas manibus incestis, et in vultu sacro expuent venenata sputa. Dabit vero ad verbera sanctum dorsum simpliciter, et colaphos accipiet; tacebit, ne quis agnoscat unde verbum venit: corona spinea coronabitur: ad cibum autem sel, et ad sitim acetum dabunt et suspendent eum in ligno, et occident. Templi vero velum scindetur in medium, et dies erit tenebrosus per horas sex, et sortem mortis finiet tribus diebus somno suscepto, et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet. Et nihil valebit eis, quia die tertia resurget, et ostendet se discipulis suis, et ipsis videntibus in cælum ascendet, et regni ejus non erit finis. Dicunt me Judæi insanam et mendacem Sibyllam; cum autem facta fuerint omnia, tunc demum reminiscuntur mei, et nullus postea me dicet insanam, sed Dei magnam Sibyllam. Dixitque principibus Romanorum: Quintus autem sol quinta generatio est: eligit sibi Jesus duos piscatores de Galilæa, et leges suas docebit eos, dicens: Ite, et doctrinam quam accepistis a me, docete omnes gentes, et per septuaginta et duas linguas subjiciuntur omnes nationes. Sextus autem sol sexta generatio est, et expugnabunt istam civitatem annos tres et menses sex. Septimus vero sol, septima generatio est; et exsurgent duo reges, et multas facient persecutiones in terra Hebræorum, propter Dominum. Octavus autem sol octava erit generatio, et in desertatione erit Roma, et præpugnantes ululabunt in tribulationibus et doloribus dicentes: Putasne perierimus? Nonus autem sol, nona generatio est: et exsurgent principes Romani in perditione multorum. Tunc exsurgent duo reges de Syria, et exercitus eorum innumerabilis sicut arena maris, et obtinebunt civitates et regiones Romanorum usque ad Chalcedoniam. Et tunc multa erit sanguinis effusio. Omnia quæ cum reminiscuntur, civitas et gens contremiscunt in eis, et disperdent Orientes. Et post hæc surgent duo reges de Ægypto, et expugnabunt quatuor reges, et occident eos, et omnem exercitum eorum, et regnabunt annos tres et menses sex. Et post eos alius rex per C litteram nomine, potens in prælio, qui regnabit annis triginta, et ædificabit templum Deo, et implebit legem, et faciet judicium propter Deum interea. Et post eum surget alius rex, qui regnabit paucis temporibus, et expugnabunt et occident eum. Post hæc vero erit rex per B nomine, et de B præcedet rex Audon, et de Audon egrediatur A, et de A præcedet A, et de hoc generabitur A; et ipse secundus A erit bellicosus nimis et præliator. Et de ipso A nascetur rex per R nomine, et de R, nascetur L, et potestatem habebit super decem et novem reges. Et post hæc surget rex Salicus de Francia, per K nomine: ipse erit magnus et piissimus, potens et misericors, et faciens justitiam pauperibus. Tanta enim erit in eo virtutis gratia, ut per viam gradientem, arborum contra eum inclinentur cacumina. Aqua enim occurrans, minime cursum ejus tardabit. Similis autem imperio Romanorum rex ante non fuit, nec post eum futurus est. Et veniet rex post eum per L nomine, et post hoc regnabit L, et post L triginta, et de L egrediatur A, et ipse A erit nimis bellicosus et fortis in prælio, et multus erit per terram sive per aquas, et non dabitur in manibus inimicorum, et morietur exsul extra regnum, et in

A manu Dei anima ejus erit. Tunc exsurret rex per V nomine, et ex una parte Salicus et alia Longobardus, et ipse habebit in terra potestatem contra pugnantem, et contra omnes inimicos. Et in diebus illis procedet rex per O nomine, et erit potentissimus et fortis et bonus, et faciet justitiam pauperibus, et recte judicabit, et de ipso procedet alius O potentissimus, et erunt sub eo pugnae inter paganos et Christianos, et sanguis Græcorum eorum effundetur, et cor ejus in manu Dei, et regnabit annis septem, et de ipsa muliere nascetur rex per O nomine: hic erit sanguinarius et facinorosus, et sine fide et veritate, et per ipsum multa erit malitia in terra, et multa sanguinis effusio, et destructæ erunt Ecclesiæ in ipsius potestate. In aliis namque regionibus tribulationes erunt multæ et prælia. Tunc surget gens contra gentem in Cappadociam, et Pamphyliam captivabunt in illo tempore, eo quod non intravit per ostium in ovile: hic namque rex regnabit per annos quatuor. Et post eum surget rex per H nomine, et in diebus ejus pugnae multæ erunt, Syriam expugnabunt, et Pentapolim captivabunt. Ipse enim rex erit ex genere Longobardorum. Tunc exsurret alius rex Salicus per C nomine, et expugnabit Longobardos, et erunt prælia et pugnae. Ipse autem Salicus erit fortis et potens, et paucis temporibus erit regnum ejus. Tunc exsurgent Agareni, et tyranni, et captivabunt Tarentum et Barro, et multæ civitates deprædabuntur. Et etiam volentes venire Romam, et non est qui resistat eis, nisi Deus deorum, et Dominus dominorum. Tunc venientes Armeni Persidem disperdent, ita ut non recuperentur civitates, quas deprædabunt, et accurrentes ipsi ponent fossas juxta Orientem, et expugnabunt Romanos, et obtinebunt pacem aliquantisper. Et intrabit rex Græcorum, vir belligerator in Æpolim, destruet templa idolorum; et veniet locusta et bruchus, et comedent omnes fructus Cappadociæ et Ciliciæ, ac fame cruciabuntur, et postea non erit amplius. Et consurget rex Salicus alius, scilicet H, vir fortis et belligerator, et indignabuntur contra eum multi vicini et parentes. In diebus illis tradet frater fratrem, et cum sorore commiscebitur, et multa nefanda hominum erunt in terra. Senes cum virginibus cubabunt, et sacerdotes mali cum deceptis puellis. Episcopi malefactorum sectatores erunt, et fiet effusio sanguinis in terra, et templa sanctorum polluent. Et erunt in populo fornicationes, immunditiæ, et sodomiticum scelus, ita ut visio ipsorum in contumelia ejus appareat. Et erunt homines raptores, contumeliosi, odientes justitiam et amantes falsitatem, et judices Romæ immutabuntur. Si hodie ad judicandum admittuntur, alio die mutabuntur, propter pecuniam accipiendam, et non judicabunt rectum, sed falsum. Et erunt in illis diebus homines rapaces, cupidi et perjuri, et amantes falsitatem, et destruetur lex et veritas, et fiet terræ motus per loca diversa et insulares civitates, et regiones dimergentur. Et erunt per loca pestilentia hominum, et terra ab inimicis desolabitur, et non prævalebit consolari eos vanitas deorum. Postea exsurret rex per L nomine. Et erunt sub illo bella et xii annis regnabit. Et post hunc surget rex per F nomine, et veniens obtinebit, et regnabit aliquanto tempore, et veniet Romam, et captivabit eam, et non mortificabitur anima ejus in manu inimicorum ullis diebus vitæ suæ. Sed erit bonus et magnus, et faciet justitiam pauperibus, et ipse vivet multo tempore. Post hæc vero surget alius rex per H, nomine; et de ipso H præcedent duodecim H et erit de genere Longobardorum et Teutonicorum, et regnabunt per annos centum. Tunc post eum exsurret rex H nomine, Salicus de Francia. Tunc initium dolorum erit, qualis non fuit ab initio sæculi. Et erunt in diebus ipsius multæ pugnae et tribulationes multorum et sanguinis effusio, et terræ motus per civitates et regiones, et terræ multæ captivabuntur, et non erit qui inimicis resistat, quia Dominus iratus

erit in terra. Roma in persecutione et gladio expugnabitur, et erit deprehensa in manu ipsius regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tyranni, odientes pauperes, opprimentes insontes, et salvantes noxios. Eruntque iniusti et nequissimi, et dominatores exterminii captivabuntur; et non est in terra qui pro eis resistat et eruat eos, propter malitias eorum et cupiditates. Et tunc exsurget rex nomine H animo constans. H ille idem constans erit rex Rom. et Græcorum; hic statura grandis, aspectu decorus, vultu splendidus, atque per singula membrorum lineamenta decenter compositus, et ipsius regnum cxxii annis terminabitur. In illis ergo diebus erunt divitiæ magnæ, et terra abundanter dabit fructum suum, ita ut tritici modium denario uno veniatur, modium vini denario uno, modium olei denario uno. Et ipse rex Scripturam habebit ante oculos, dicentem: Rex Rom. omne sibi vindicat regnum Christianorum. Omnes ergo insulas et civitates paganorum devastabit, et universa idolorum templa destruet, et omnes paganos ad baptismum convocabit, et per omnia templa crux Christi Jesu erigetur. Tunc namque præveniet Ægyptus Æthiopiam munus dare Deo. Qui vero crucem Jesu Christi non adoraverint, gladio punientur. Et cum completi fuerint cxxii anni, Judæi convertentur ad Dominum, et erit ab omnibus sepulcrum ejus gloriosum. In diebus illis salvabitur Israel, et habitabit confidenter. In illo tempore surget princeps iniquitatis de tribu Dan, qui vocabitur Antichristus. Hic erit filius perditionis, caput superbæ, magister erroris, plenitudo malitiæ, qui subvertet orbem, et faciet prodigia et signa magna per falsas simulationes; deludet autem per artem magicam multos, ita ut ignis de cælo descendere videatur. Et minuuntur anni sicut menses, et menses sicut septimana, et septimana sicut dies, et dies sicut hora. Et exsurgent ab Aquilone spurcissimæ gentes, quas Alexander rex inclusit, Gog, videlicet, et Magog. Hæc duodecim regna, quorum numerus est sicut arena maris. Cum autem audietur rex Roman., convocato exercitu, debellabitur eos, atque prosternet usque ad internecionem. Et postea rex veniet Jerusalem, et ibi deposito capitis diademate, et omni habitu regali, regnum Christianorum Deo Patri relinquet, et Filio ejus Jesu Christo. Et cum cessaverit imperium Romanum, tunc revelabitur manifeste Antichristus, et sedebit in domo Domini in Je-

A rusalem. Regnante autem eo, egredientur duo clarissimi viri, Elias et Henoch, ad annuntiandum adventum Domini; et Antichristus occidet eos, et post dies tres a Domino resuscitabuntur. Tunc erit persecutio magna, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur. Abbreviabit autem Dominus dies illos, propter electos, et occidetur virtute Domini Antichristus a Michael archangelo in monte Oliveti. Cumque hæc Sibylla et alia multa Romanis prædiceret futura, quibus etiam signis ad judicandum Dominus venturus est, vaticinando. versus intonuit, dicens:

Versus sibyllini de Christo.

Judicii signum: tellus sudore madescet,
E cælo rex adveniet per secla futurus,
Scilicet in carne præsens, ut judicet orbem:
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis,
Celsum cum sanctis jam terminus exstat in ipso,
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicat ipse,
Cum jacet incultus densis in vepribus orbis,
Rejicient simulacra viri cunctam quoque gazam,
Exuret terras ignis pontumque polumque:
Inquirens tetri portas effringet Averni,
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni,
Tradentur fontes, æternaque flamma cremabit.
Occultos actus manifestans quisque loquetur,
Secreta atque Deus reserabit pectora lucis;
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris,
Volvetur cælum, lunaris splendor obibit,
Dejiciet colles, valles extollet ab imo:
Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
Jam æquantur campis montes et cærule ponti,
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit;
Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni.
Sed tuba per sonitum tristem dimittet ab alto,
Orbe genus facinus miserum variosque labores,
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et coram hoc Domino reges sistuntur ad unum,
Recidet e cœlis ignisque et sulphuris amnis.

Tunc judicabit Dominus secundum uniuscujusque opus, et ibunt impii in gehennam ignis æterni; justi vero vitæ æternæ præmium recipient; et cælum novum, et terram novam; et mare jam non erit. Et regnabit Dominus cum sanctis in sæcula sæculorum. Amen.

Appendix

AD VENERABILIS BEDÆ SPURIA.

HISPÉRICA FAMINA,

SIVE

LATINITATIS INUSITATÆ VEL ARCANÆ OPUSCULUM,

AUCTORE INCERTO.

AB ANGELO MAIO, JUXTA ANTIQUM CODICEM VATICANUM, EDITUM.

(Classicorum auctorum tom. V.)

MAII MONITUM.

1. Hoc inauditæ Latinitatis opusculum jamdiu mihi observatum fuerat in reginæ Suecæ Codice Vaticano sæculi x, vel xi, qui fuit olim senatoris Galli

Petavii: expectabam autem idoneam occasionem edendi ejus, quam nunc grammaticus Virgilius obtulit, ad quem singularis Latinitatis præceptorem non